Berlin Joan: Lex Valeria, sive an perduellionis delatus inaudita causa interfici possit.

Lex Valeria;

sive,

An perduellionis delatus inauditâ causâ interfici possit;

enucleata,

&

Ex probatissimis quibusq; historicis, variis rerum eventibus, monitis politicis, aliis juris Cæsarei capitibus, Ddq́, authoritatibus breviter illustrata,

per

Joannem Berlin Angermund. March.
Curiæ Provincialis Ducat. Glogov.
Advoc.

Anno

MDCXXXIV.

Lesnæ Polonorum excusa.

Mirabilis omnino scriptor, qui seriò hoc ipsum agit, quod non agit, nec historia solum est, sed velut hortus, & seminarium præceptorum, sapientiæ simul & prudentiæ verus Dux, C. Cornelius Tacitus, quem si unquam in manibus hominum versari utile fuit, his certe temporibus, & hac scenâ rerum expedit, censente magno politico, & philologo Justo Lipsio lib. 1. polit & in præf. Taciti de Clodij Macri, haud dubiè in Africa turbantis, jussu Imp. Galbæ; Et C. Fonteij Capitonis in Germania, ejus tantùm criminis delati, antequam juberentur, à legatis legionum facta cæde, libr 1 histor. scribit: Utraq; cædes sinistrè accepta est; Et invisum semel Principem seu benè, seu malè facta premunt, &c. Capitonem occisum qui queri non poterant, tamen indignabantur &c.

Quid Egræ Variscorum 15 *Febr. fuerit actum cum Alberto, ex Wallensteniis Baronibus Bohemicis, Duce Fridlandiæ, Sagani, Glogoviæ, &c.* Augusti *nostri Imperatore bellico; Christiano ab Ilovv, generali Campi Marschallo; Guilhelmo Comite de Kynzky; Ertmanno Comite de Terzky, Legionariis; & Heinrico Niemanno Trib. equitum; toti ferè, ut putamus, terrarum orbi innotuit.*

A variis eâ de re varia passim audiuntur judicia, Non uno ab ævo an simile quid contigerit; & quid pro justitiâ, bonoq; simul publico visum fuerit sapientioribus, non nostris, sed eorum potissimùm, quos allegavimus, verbis, generaliter, & in thesi (hypothesin, quod protestamur, aliis reservantes) odio procul & amore, juxta monitum Cæsaris ap. Salust. de conjur. Catil. proponere est animus. Commodius autem id fieri haud posse putamus, quàm si finem discursus nostri indigitando constituamus quæstionem: An perduellionis, aut læsæ Majestatis delatus inauditâ causâ interfici possit?

Solon, qui dicitur Athenas æquo jure fundasse, interq; septem ævi sapientia notos fuisse Senec. ep. 110. jubet talem judicio sisti, ac judi-

 cari

cari: *Plutarch. in parall. Solon. & Publ. M. Antoninus Phil. Imp. Collegæ suo L. Vero admonenti de periculis imminentibus ab Aufidio Cassio, inter alia huc commoda rescribebat*, quod non posset reum facere, quem nullus accusasset, & milites amarent. *Vulcat. Gallican. in Cass. Verba profectò digna philosopho pro firmando statu Reipl.: ne scilicet* rei, inauditi, & indefensi, tanquam innocentes periisse putentur: *Tacit. d. l. & 15. ann. & evitetur seditio ad vindictam*: Sæpè enim alii, etiamsi nullam societatem cum talibus contraxerunt, tamen oppressorum misericordiâ, metuq; ejusdem sortis, iis opitulantur, & sub specie ultionis in vindicandis injuriis succedunt. *ex Orat. Cicer. ad Senat. apud Dion. libr. 44.* Afflictæ *magnatum* fortunæ facilè multorum opes alliciunt ad misericordiam, *Cicer. p. L. Manil. Furius Camillus M. Manlium Torquatum tyrannidis affectatæ reum in jus vocari, ac causam dicere jussit, nec inauditum necari voluit. Liv. lib. 6. Plutarch. in Camill. Flor. l. 1. Valer. Max. l. 6. c. 3. n. 1. Eodem modo actum fuit, cum Sp. Cassio perduellionis insimulato: Liv. lib. 2. Dion. Halicar. lib. 8. Valer. Max. d. c. Cicer. philip. 2. & in Orat. pro domo Marc. Cæsio: Pet. Ærod. lib. 1. rer. judic. poster. Frustrà ab historias accusatus à Jacobo Fontejo de prisca gente Cæsiorum c. 3. Extat enim apud Valer. Max. lib. 2. c. 7. n. 15. Cæsio autem, non tàm severitas disciplinæ militaris, quàm perduellio, & invasio imperij, inscio populo, apud Senatum causa fuit supplicij ex L. Valeria, de quâ infra ex authoribus allegatis. Et Asiatico, Cajanæ cædis delato apud Claudium, quamvis secretò, & summarissimè, vel, ut Tacitus loquitur lib. 11. ann.* non datâ senatus copiâ, *intra cubiculum Claudii; vel, ut Dio lib. 60. apud ipsum Imperatorem, audito.*

Eloquentiæ Romanæ princeps, & idea perfecti oratoris Antonius, ad depulsionem Legis Appuleiæ Majestatis, in causa Norbani, referente Cicerone 2. de Oratore ob excitatam seditionem, & in eà incarceratum, & carnificis manibus miserrimè enecatum Q. Servilium Cæpionem, de quo Valer. Max. lib. 6. c. 9. n. 13. demonstravit, etsi omnes molestæ seditiones fuissent, iustas tamen fuisse non nullas, & propè necessarias. Sic translatitium est in Scholis JCtorum, cum vix ullum delictum tàm sic notorium, quod habere non posit aliquam excusationem, etiam ad summa-

summariam informationem facti reum citandum esse, ad minimum ad allegandas causas, quare non censendus sit incidisse in pœnam legis prætensæ: De quo satis prolixè in causa anno Christi 1478. die 13. Aprilis, laqueo suspensi Francisci Salviati ArchiEpisc. Pisani; & carcerati Raphaelis Riarij Cardin. à Laurentio Mediceo, & aliis Florentinis, Egnat. lib. 6. cap. 5. Fulgos. lib. 6. c. 3. contra Sixti IV. Pp. excommunicationem scripserūt, Marian. Socinus inter cons. Curt. Senior. cons. 20. Aretinus cons. 163. Hieron. de Tortis cons. impresso post consil. Butrij, & alij, quos allegat & sequitur Menochius de arbitr. jud. quæst. cas. 542. n. 21. & seqq. & Clarus prax. Crim. q. 9. n. 3.

Idq; fieri non caret ratione. In monarchico enim statu aliàs auri vis, & opes semper infensæ Principibus, *Sosibio monente ap. Tacitum d. lib. 11. ann. de Tyberio in specie idem ibid. & lib. 6. in exemplo Sex. Marij. & Dio lib. 58. de Caligula, Dio lib. 59. de Nerone, Xiphilin. & Tacit. lib. 12. in exemplo Statilij Tauri, lib. 14. Senecæ, lib. 16. Mellæ, in Agic. matris Agricolæ de Maximino Capitolin. Addiderimus nos* & rerum gestarum gloria. *Nam Principes nihil magis, noctes atq; dies mordet, quàm si ea non suæ, sed Ducum suorum virtuti, ac prudentiæ adscribatur. 1. Samuel. 18. v. 7. Plato de rep. pag. 725. Diod. Sicul. 19. c. 71. Demosth. in orat. ad Philip. epist. callido sæpè artificio à malevolis aulicis; quos pessimum genus laudantes nominavit Tacitus in Agric. cujus quasi interpretes Polyb. lib. 4. in fin. & Mammert. paneg. ad Julian. Lips. ad Tacit. pagin. 565. Quæ omnia more suo sic contraxit arcanorum dominationis oculatissimus observator Tacitus lib. 1. hist.* Nobilitas, opes, omissi, gestiq; honores, pro crimine; Et ob virtutes certissimum exitium. *Ipsis igitur Ducibus summo studio imitandum exemplum Joabi; 2 Sam. 12. v. 27. Germ, Cæs. Tacit. l. 2. ann. Jugurthæ, Sallust. in Jugur. L. Pisonis, Vell. Patern. lib. 2. Agricolæ, Tacitus in Agric. rati conscientiam facti satis esse. Tacit. d. l. ne cogantur contra suos Claudios cum Cn. Domitio Corbulo super felicitate priscorum Ducum suspirare Dio lib. 60 vel cum Martio Coriolano apud Tullum, & ingratos Antiates sub velocitate jactorum lapidum exspirare Plutarch. in Coriolano Dion. Halic. lib. 8. In populari verò, & optimarum statu nihil frequentius, quàm invidere, calumniari, & odisse, quorum virtutes adæquare non possunt malevoli. Plena exemplorum Græca, Romana,*

i. amici

omni-

omniumq́ gentium est historia. Per legitimos igitur tramites calumniantium iniquitates expellere expedit: Si *enim* accusasse sufficit, quis erit innocens, *ut laudabiliter, cætera illaudabilis apostata Julianus dixit? Ammian. Marcel. lib. 18.*

E contrario antiquorum scripta, & Leges, perduelles, Majestatisq́ delatos occidi jubent, interfectoribusq́ præmia maxima proponunt l. 35. ff. de relig. & sumpt. fun. Bodin. de rep. lib. 2. c. 5. in pr. Joan. Sarisber. l. 8. Policr. c. 17. in pr. & libr. 3. c. 15. 18. 19. Lips ad Tacit. pag. 198. 524. Valeria Lex, quàm ex causâ ab Halicarn. & Valer. Maxim. lib. 4. c. 1. n. 1. proditâ Fasces Vallerii *nominat Cicero ap. Dion. Caß. lib. 45. (tertio pòst exactos Reges, & Vr. Con. 243. anno lata, de quà præter Valer. Max. & Halic lib. 5. Liv. libr. 2. Plutarch. in parall. Solonis & Public) primò occidere, posteà necis causam judicari sanciebat, Si quis injussu populi magistratum adiisset, aut regni occupandi consilia iniisset:*

Videbant enim viri prudentißimi, libertatisq́ patriæ amantißimi, quoties nec leges satis tuerentur tranquillitatem publicam, nec magistratus ad LL. tutelam sufficerent, & in temporum novitatibus opus esset institutis non tàm optimis, quàm ad præsentem rerum statum accommodatissimis, necesse esse etiam tyrannicâ interdum potestate uti. Dion. Halic. lib. 5. Ideoq́ etiam Valeriæ nec quicquam derogabat Lex Portia de suppliciis, vel jure Civitatis Scipio Gentil. de L. Portia thesi 59. & 148. quam non M. Portius Cato Censorinus, ut perperam multi, etiam aliàs magni, opinantur; sed Portius Læca tribunus pl. tulit. Idem th. 4. & de L. Cornelia th. 26. ex antiquo nummo, in cujus una parte PORTIUS LÆCA, in alterâ PROVOCO. Hinc reperitur apud Sall. de Catil. itum est in Catonis sententiam, conjuratores more majorum puniendos esse censentis. *Sic apud Sveton. in Nerone c. 49 Nero cum hostis fuit judicatus à Senatu, pronunciatum est, ut* more majorum puniretur.

Ex eadem Lege Valeriâ etiam manavit, quòd, secus quàm in omnium aliorum scelerum reatu convictis contingit, perduellionis delatus non integro statu mortuus fuisse putetur, qui ante damnationem è vita properavit, nisi ab heredibus aut successoribus suis purgetur; adeo prius judicatus quàm accusatus censetur l. ult. ff. ad Leg. Jul. Mtis l. 6. 7. 8. eod. in C.

Ad hanc Legem Valeriam respexit JC. Ulpianus (*argto l. 24. ff. de capt. & post-lim. rev. l. 118. ff. de verb. sign*) *in l. 6. § 9. ff. de injus. rup. & irr. f. t. cum ait:* Si fortè latro manifestus, vel seditio prærupta, (*nota eadem phrasis Tacito lib. 5. ann. prærupta, & urgens, velut legit Lips. vergens dominatio*) factioq; cruenta, vel al a justa causa moram non recipiant, non pænæ festinatione, sed præveniendi periculi causâ punire permittitur, deinde scribere &c.

Rebellemq; impunè occidi, & deinde judicari posse, communem esse opinionem scripserunt, Bossius in tit. de hæret. n. 29. & in tit. de crim. læsæ Mtis. n. 119. Philip Portius lib. 1. opin. comm: concl. 1. Gigas de crim. læsæ Mtis. lib. 3. rubr. de pluribus & variis quæst. q. 13. n. 5.

Sicq; de facto consulti responderunt, Ruinus cons. 4. lib. 5. Ferret. cons. 31. Videantur Br. ad extravag. & And. Geil de PP. lib. 2. c. 3. Gabr Rom. lib. 7. concl. 11. Decian. Vol. 3. cons. 19. n. 87. ibiq; alleg. & in tr. Crim. lib. 7. c. 40. Peregrin. de jure fisci tit. 1. lib. 5.

Quæ verò ex Socino, Aretino, Torto, Menochio, Claro, & aliis, de citatione ad allegandas causas depulsionis Legum, in criminibus etiam notoriis, supra addicta fuerunt, declarantur non procedere, quando ex evidentiâ facti, puta in homicidio, planum est, nullam reo posse competere defensionem, ob qualitates, à lege requisitas ad necessariam defensionem, deficientes: ut illi ipsi dictis locis, & Socinus præterea De citatione art. 7. n. 7. & Ilico Ummig in Proceß. disp. 5. n. 44 tradiderunt.

Eadem aut similis Lex viguisse videtur apud antiquos Germanos nostros ab ætate Herminij Cheruscorum Ducis, à Romanis in devictam istam partem Germaniæ illata, argumento eorum quæ habet Dio l. 56 & Flor. lib. 4. c. 12. Vell. Paterc. lib. 2. Tacit. 1. ann. Et exemplorum Principum, qui ob turbas Reip. & libidinem dominationis in omnes, vel in exilium pulsi, vel etiam ex insidiis suorum oppreßi fuerunt, de quibus ex Græcis, Latinis, & nostratibus historicis Goldastus lib. 1. Bohem. à cap. 4. usq; ad 8. non à Carolo M. primò inventa, sed per concessam autonomiam informata, de qua Munsterus in Cosmogr. Aventinus lib. 4. ann. Bojar. Caspar Schütz rer. Pruß. pag. 171. Mercator ex Ænea Silv. in descript. VVestphal. Ejusq; mentio aliqua in Recessibus Imperij in Reform. Frider. III. anno 1442. Maximiliani I. anno 1495. vulgò dicitur das heimliche Westphalische Gerichte: *Et ab Heinrico VII. Imp. anno 1312. in Insubriam reducta; à gl. & Dd. vocatur*

secreta informatio. *extat in extravag. tit: quomodo in læsæ* Majestatis crim. procedend.

Rationes satis prægnantes Ulpianus, Vir non in scholis tantum, sed in ipsa Rep. versatissimus, Imper. Alexandri Cancellarius addidit. Respexit autem procul dubio ad Marc. Portij Catonis consilium ap. Sal-l.st. de Catilin. Conjur. Cætera, *inquit*, maleficia tunc persequare cum facta sunt, hoc nisi provideris, ne accidat; ubi evenit, frustrà judicia explores. *Quod ejus monitum cum Cicerone Senatus Romanus secutus est, magnamq; apud omnes laudem ex eo meritus fuit Cato, censentibus Joan. Friderico, Elect. Sax. & Philippo Landgraffio Hessiæ, in scripto quodã cõtra Heinricum Ducem Brunsf. ap. Hordled. l. 4. c. 5. n. 29. de causis belli Germ. Faciunt tradita Velleij Paterc. l. 2. Ad quam sententiam Catonis in plurimis collimant ea, quæ habet Dio lib. 45. in orat. Cicer. contr. Anton. inter quæ hoc quoq;:* Plura negocia oportunitate occasionum, quàm viribus rectè confecta esse. *Pharesmanes Rex Iberiæ per filium suum Rhadamistum fratri Mithridati regnum Armeniæ erepturus, eumq; occisurus, suadebat filio* vim differendam, & potiorem esse dolum, quo incautus opprimeretur. *Tacit. 12. ann.* Omnium præstantissimum, *judicat Plutarchus in parall. Pelopidæ & Marcell.* per tenebras, & fallaciam rerum gestarum tollere tyrannos.

Et quis cohortibus armatum in jus etiam vocaret? quis arces ac propugnacula tenentem comprehenderet? nonne præstabilius est vim adhibere, quàm legis actiones nimis religiosè conquirere? Bodin. de Rep. lib. 2. c. 5.

Tritissimum est, inter arma silere Leges, *Sic C. Marius reprehensoribus suis, quod in bello Cimbrico quædam juri contraria egisset, respondit, se ob armorum strepitum Legum vocem non potuisse exaudire. Plutarch in Mario, & Rom. apoph. Et Pompejus Mamertinis Messanensibus in jus ad se vocatis, sed fori præscriptionem ex speciali Privilegio, à Romanis concesso, opponentibus; nunquamne nobis gladiis succinctis Leges recitare desinetis Idem in Pomp. Quod ipsum si ullo in alio, certè in nostro casu locum habet. Hic tibi plus sit buccina, quàm gallorum cantus, plus acies instruere, quàm actiones instituere, plus pilo,*

quàm

quàm stylo pugnare. Nam quid mollia in durissimis? Necessitas hic in tempore, spes in virtute, una salus ex victoria. Magnus magnorum debellator & victor expertus monet: In summo periculo timorē misericordiā non recipere. *Cæsar. lib. 7 belli Gallici. Et Cato:* Verendum, ne mansuetudo, & misericordia, si talis arma ceperit, in miseriam convertatur *Sallust. ibid.* Odium ultra metum etiam durat, & ne invictis quidē deponitur, neq; ante invisus quis esse desinit quàm esse desiit, *Paterc. lib. 1.* Si *igitur* in præsentiā crescentis plātæ radicem facilè præcidere possis, non est cunctandum, nec expectandum, ut acceptam injuriam periculo ulciscaris, cum adversarii conatus opprimere liceat, *sicuti de Palæologo Lachana cædem procurante narrat Gregoras lib. 5. c. 5. Et satius est perdere, quàm ipse perire. Quod nimis serò sapuit Titus Vespasianus Imperator, amor & delitiæ humani generis dictus, qui jàm agonizans suspexit cælum, multumq; conquestus est, eripi sibi vitam immerenti; neq; enim extare ullum suum factum pænitendum, excepto duntaxat uno, Sveton. in Tit. c. 10. quod videlicet Domitianum fratrem, à quo certò sciebat sibi insidias parari, non interfecisset, explicante Xiphilino ex Dion. lib. 66.*

Præterea iam armatorum solas minas lædendi Principes, quis adeo hospes in historiis, ut nesciat plus periculi creasse rebusp. & incommodi, dilatā quàm celeriter expeditā salute civium, quæ suprema Lex Reip. Saluti autem unius membri salus totius corporis præferenda, *Authent. res quæ. C. communia de legat Cic 3. offic. & 8. Philipp. Digitum præcidere oportet, si ob eam rem gangræna non sit ad brachium ventura, Varro in fragm. Et jactura unius civis finiat intestinum bellum, vociferabantur optimates in condemnatione Manlij apud Liv. lib. 6.* Fortes ac strenui insistunt spei, timidi & ignavi ad deliberationem formidine properant *Tacit. lib. 2. histor.* Nullusq; contationi locus est in consilio, quod non potest laudari, nisi perfactum. *Idem lib. 1. histor.* Audendo, agendoq; res Romana crevit, non segnibus consiliis, quæ timidi cauta vocant. *Liv. lib. 22.* Et quid contatione opus, u-

 bi

hi periculosior est quies, quàm ipsa temeritas? *Tacit. l. 1. hist.* *Quod optimè intelligebat Helematus, de quo Justinus lib. 26. Et Macrinus, de quo Herodian. lib. 4. Dio lib. 78. Imò eos, quibus Princeps minatus fuit, necessitate ipsâ cogi, vel de inferendâ, vel patiendâ injuria cogitare, ex oratione Manlij ap. Liv. lib. 6. scripsit Macchiav. lib. 3. de Rep. c. 6. Vetus Iambus extat apud Clementem Alexand. lib. 4.* ϛρωμάτων: Τίς δέ ἐϛι δοῦλ۞ τῦ θανεῖν, ἄφροντις ὤν; *Qui mortis est servus, timore is haut vacat. Quod vel his duobus edocemur exemplis, ut non opus sit ad eruendum sensum cum Heinrico Stephano l. 6. schediaf. c. 20. interpungere textũ. Commodus Imp. Prætorianis militibus Lætum, Electumq; præfecerat, sed quia iidem vitæ ejus turpitudinem quandoq; reprehendebant, decrevit eos, cum multis aliis, & Martia concubina prædilectâ è medio tollere, quos omnes in schedulâ descriptos habebat, quàm cum pulvinari subjecisset, eamq; puer manè invenisset, è cubiculo egressus Martiæ legendam porrexit, quæ Læto & Electo; hi cognito præcipiti suo periculo ipsum sequenti nocte, dato prius veneno per Martiam haud valido, interfecerunt, Herodian. lib. 1. Dio. lib. 73. Michael Traulus seu Balbus, Dux bonus in militiâ, per quem Leo Armenus vel Pardus, Imperator Constantinopolitanus ad imperium evectus fuerat, imprudentius sæpius posteà de Imperatore suo locutus, in periculo vitæ aliquoties fuerat, & tandem cum aliquibus conspiraverat de tollendo Leone Imp. Sed proditâ re captus fuit vesperâ nativitatis Christi. Eum Leo statim, se inspectante, vivum comburendum decernit. Sed intercedit conjunx Augusta ut supplicium differatur: In compedes igitur compingitur, & Rex potentiam ejus suspectam habens, ne elaberetur, claves vinculorum ad se recipit, custodiamq; Michaelis Papiæ cuidam, cujus aliàs cura erat captivorum, demandat. Regi multa exindè eà nocte obversabantur animo; mediâ igitur surgit, sine ministris acceptâ carceris clave ingreditur custodiam, in pavimento cum custodibus Papiam, Michaelem verò in lecto securum dormientem invenit, simulans non curare discessit, iram tamen motu manus indicans; quod è custodibus quidam dormire simulans vidit, & postea cæteris enarravit. Papias ubi Michaeli retulit, is è vestigio literis suadet aliis conspiratoribus celeritate opus esse, & quidem hac nocte sanctâ, quâ nihil timetur, facinus pulchrum esse adeundum, ne ipsorum consilia, si res*

diutius

diutius trahatur, in apertum perducantur. Circa matutinum igitur cum Regales Cantores templum ingrediuntur, ac suavissimè psallunt, & ipsi conspiratores irrepunt, paulò pòst sequente Rege, qui, dum & ipse Rex canere incipit voce paulò acutiore, in angulo quodam occultati ex improviso nudatis ensibus erumpunt: rege autem ad altare fugiente, homicidæ sequentes ipsum vi rapiunt, caput abscindunt, & dextram resecant, corpore multis vulneribus confosso: quod in hyppodromum tractum abjecerunt, Michaelemq; Regem proclamarunt, qui adhùc pedibus vincula gerebat, ad quæ clavis, quam Leo secum tenuerat, cum reperiri non posset, effracta sunt. Post Joan. Zonoram prolixè Cuspinian. in Leone Pardo. Et Curopalates. *Adeo verissimè dictum à Valerio M.* l. 9. c. 6. n. 1 impiam proditionem celeri pœnâ vindicandam esse. *Tutumq; etsi non semper honestum, censente Erasmo* in Apophth. libr. 6. *Theodati Chij consilium sequi, qui reliquis consiliariis Regis Ægypti consultantibus, an Pompejus victorem Cæsarem fugiens recipiendus esset, nec ne, consulebat; recipiendum quidem, sed enecandum, quia* mortui non morderent. Plutarch. in Pomp. & in Bruto. *Et Imper. Commodum, qui cum à Patre in supremis admoneretur, attritos jam barbaros ne permitteret vires recipere, respondit:* ab incolumi, quamvis paulatim, negocia perfici posse, à mortuo nihil. *Aur. Victor. in Commodo.*

Præterea justior non est ulla pœna, quàm pati, quâ quis in alium uti antea voluit. tot. tit. ff. quod quisq; jur. *sicuti divinis* Matt. 7. v. 12 Colos. 3. in fin. *humanisq; literis est commendata* ab Alexand. Imp. apud Lampr. Et Seneca in Troade, ibi: *Quod quis fecit, patitur; authorem scelus Repetit, suoq; premitur exemplo nocens. Sæpeq; redeunt fraudes malignantium, ut sagittæ in verticem sagittantium,* Cassiod. ep. lib. 5. & Auson. ep. 71.

Doloq; non videtur fecisse, qui fraudem exclusit: ut religiosissimus, quamvis ethnicus, JCtus Papinianus, qui mori maluit quàm fratricidium Caracallæ in Getam excusare, Ælian. Spart. in Caracall. *scripsit* lib. 77. § 31. ff. de leg. 2 *Hominem enim homini insidiari nefas est, sed cum fit, jure etiam evenit, quod quis ob tutelam corporis sui fecit.* l. 3. ff. de Just. & Jur. *Et frustra legum auxilium implorat, qui contra leges peccat,* l. 37. in fine ff. de minor. *ne hæ ei fiant ludibrio.* l. ult. §. fin. verf. ubi autē c. de bonis quæ lib. *Et Ulpianus iterum respiciens ad L. Valeriam dixit*

lib. 1. §. 3. ff. de dolo malo Veteres dolum bonum nominasse & pro solertiâ hoc nomen habuisse, maximè si adversus hostem, latronemq; quis machinetur. *Quæ verba à Plauto ita efferuntur :* Doli non sunt doli, nisi astu colas : *Et à Plinio lib. 8. ep.* Decipere pro moribus temporum, est prudentia. *Unde non degeneres eas censet insidias Tacitus lib. 11. ann. quæ usurpantur adversus transfugas, & violatores fidei.*

Deniq; cum aliis omnibus dominandi libido superior sit in his qui alta cogitant, metu nisi coercueris, hîc etiam sibi locum vendicat monitum C. Caßij, quo usus in persuasione retinendi moris veteris, quo servi omnes, quotquot sub eodem tecto mansitaverant, quando ab uno eorum dominus interfectus erat, ad supplicium agebantur, absq; ullâ commiseratione numeri, ætatis & sexus, ut sua dominis plena ab iis constaret securitas : Habet *inquit* aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra singulos utilitate publica rependitur. *Taci. 14. ann. ibiq; Lips. p. 394. Cujac. lib. 1. obs. 18. Quo respectu etiam* justißimam severitatem *pronunciavit Ulpianus* per quam evidens utilitas publica procuratur. *l. 1. §1. ff. de inc. ruin. naufr.* Horridæ, & tristis severitatis acta, strictasq; & inexorabiles vindictas, utilia esse Legum munimenta *Valerius M. lib. 6. c. 3. in pr. Unde cum non tàm ulciscendi causâ, quàm ut in præsens scelerati cives timore ab impugnanda patria deterreantur; & in posterum documentum statuatur, ne quis talem amentiam imitari velit; charitasq; liberorum amiciores parentes Reip. faciat; id omne quod hic per se crudele videtur, præsertim quod cum memoriâ delinquentis damnatâ, infamia & prohibitæ factionis testamenti pœna ex lib. 5. C. ad L. Juliam Mtis. etiam in liberos transeat, sit excusabile; uti antiqvum id esse, & omnium Civitatum commune scripsit Cicero ep. 15. ad Brut. Et quicquid valdè utilè, id fieri honestum, etiamsi antea non videretur. 3. offic. De his more suo docte, & eleganter Duarenus tit. ad L. Jul. Mtis. c. 4. in pr. Cum hoc judicium, munimentum sit publicæ securitatis, & tranquillitatis, & ad id facinus vindicandum pertineat, quod multò exitialius est Reip. non est mirum, si pleraq; hic aliena à jure communi reperiantur.*

Celeri

Celeri eâ, sine strepitu forensi, executione & [illegible] ferè absq; insidiis ad avertendum periculum a Republica usi sunt. Romani, stante statu populari, in Sp. Melium, Liv. lib. 4. Flor. lib. 1. Val. M. lib. 6. cap. 3. Cicer. pro dom. Augustin. de Civit. Dei lib. 3. cap. 17. in T. & C. Grachum, & M. Fulv. Flaccum Vell. Paterc. lib. 2. Plutarch. in Gracch. Appian. de bell. civ. lib 1. Flor. lib. 3. Oros. lib. 5. c. 11. Plin. Jun. tit. 65 Sallust. in Jugurth. Epit. Liv. lib. 58. & 61. Val. M. lib. 6. c. 3. In Glauciam, Appulejum Saturninum Epit. Liv. libr. 69. Paterc. libr. 2. Aur: Victor. Plin. Jun. tit. 73. Cicer. pro Rabir. Brutus, & Cassius cum complicibus in Cæsarem, nihil tale cogitantem in ipso Senatu. Plutarch. in Cæs. & Sveton. c. 82. Dio lib. 44. & 52. Epit. Liv. lib. 116. Appian. lib. 2. bell. Civ. Paterc. l. 2. Flor. l. 4. c. 2. Oros. 6. c. 14. Eutrop. 6. c. 6. Sub Principatu verò; Tiberius in Seianum Sueton. in Tiber. Dio lib. 58. Val. M. lib. 9. c. 11. in fin. Juven. Satyr. 10. T. Vespasianus in Aulum Cecinnam. Sveton. in Tito, vocatur à Dione Alienus. libr. 66. vide Lips. ad Tacit. pag. 469. Galba in Cl. Macrum, & C. Fontejum Tacit. lib. 1. hist. Plutarch. in Galb. Commodus in Perennem, & Cleandrum Herodian. lib. 1. Dio lib. 72. Severus in Plautianum, Herodian. li. 3. Spartian. in Severo Dio & Xiphilin. lib. 75. & seq. Arcadius in Eutropium, Histor. trip. lib. 10. cap. 4. & Zosim. Valens in Procopium, Hist. trip. lib. 7. c. 7. Cuspin in Valentin & Valen. Probus in Saturninum Gallum Vopis. in Saturn. Diocletianus in Carausium, seu Crausium, Oros. lib. 7. c. 16. Euseb. lib. temp. & Cuspin. Theodosius Jun. in Joannem, Procop. & Socr. Byzant. item Cuspin. in Theod. & Valent. Leo Thrax in Asparem, ejusq; filios Ardaburem & Patriciolum. Jordan. l. de Orig. Gothor. Idem in ann. sub 470. Zeno in Leontium, & conjuratores, Cuspin. in Zenon. Justinus in Vittalianum, Idem in Justin. Michael Balbus in Euphemium, Cedren.

Apud Israelitas, Jojada Pp. in Athaliam, 2. Reg. 11: & 2. Paral. 23.

Apud Persas, Filij Hystaspis, & socij in Smerdem falsum, seu Spendadatem Magum, ejusq; fratrem Patizitem: post Ctesiam & Herod. Justin. lib. 1. ex Trogo. Artaxerxes Longimanus in Artabanum, Gnid. Ctesias in Persicis pag. 4. Herod. & Iustin. lib. 3.

Apud Græcos, Alexand. M. in Parmenionem & Philotam, Strabo lib. 15. Plutarch. in Alexand. M. Iustin. lib. 11. Pyrrhus Rex Epiri in patruelem suum Neoptolemum, Plutarch. in Pyrrh.

Apud Spartanos Agesilaus Rex, tùm in eos qui coitione factâ Issorium, munitum & expugnatu difficilem locum, occupârant; tùm in

hos

hos, qui noctu sub Thebanorum irruptionem simul convenissent, Plutarch. in Agesil. & Ælian. var. histor. lib. 14. c. 25. *Athenienses, in XXX. tyrannos.* Xenophon in Græcan. lib. 2. Iustin. lib. 5. *in Cylonem,* Herod. lib. 6. Plutarch. in Cylon. *in fratrem Thimoleontis,* Plutarch. in Thimol. *in liberos Pisistrati per Hermodium & Aristogitonem* Herod. lib. 2. Plutarch. de sera Numin. vind. Aristot. 1. Rhetor. Iustin. libr. 2. *Thessali, in Jasonem Phareum,* Xenoph. in Græc. lib. 6. *Heracleenses, in Clearchum per Chionem & Leonidem,* Iustin. lib. 16.

Apud Siculos, Guilhelmus in Majonem Amiratum per Matth. Bonellum, Thom. Fazell. de reb. Sicul. lib. 7. c. 4. Hugo Falcandi de Sicil. calamit. lib. 6. c. 5. Ioan. Michal Brut. de instaur. Ital. lib. 2. *Ferdinand. Arragon. in Cappolum,* Macchiav. lib. 3. c. 6.

Apud Mediolanenses, Dux Philippus in Gabrinum Fundulum, Fulgos. libr. 9. c. 6.

Apud Venetos, Resp. in Marinum Faletrum suum Ducem, Fulgos. lib. 6. c. 3. Egnat. lib. 3. cap. 4. *in Biamontem Teupolum;* Idem libr. 3. c. 5. *in Fran. Baldinum,* Egnatius lib. 6. c. 5.

Apud Gallos, Heinricus III. in Heinricum & Ludovicum Guisios, fratres. Arnold. Ferron. sub anno 1588. *Nostrâ ætate Ludovicus XIII. in March. de Anchorâ.*

Apud Scotos, Jacobus I. in Guilhelmum VI Duglaßium Ducem Turonensem: Et Jacobus II. in Guilh. Duglaß. Pro-Regem Scotiæ, Henning. geneal. tom. 4. part. ult. pag. 178. & seq.

Apud Svecos, Byrgerus in Ericum & VValdemarum germanos suos. Idem eodem tom. pag. 235.

Apud Polonos, Boleslaus Distortus in Sbigneum fratrem nothum, frustrà ejus opem implorantem contra hos, qui jurgio de industriâ ipsum aggrediebantur. Crom. lib. 5. *Stephanus Bathoreus in Samuelem, & Christophorum Sborovios,* Salomon Neugebavver lib. 10. rer. Polon. & Laur. Moller. in hist. Sept.

Apud OstroGothos, Theodoricus in Odoacrem, Caßiod. & Procop. lib. 1. bell. Goth. Iordan. in annal.

Apud Hungaros, Ferdinandus I. in Georg. Martinusium ex monacho Cardinalem, & Episcopum VVaradiensem. Thuan. lib. 7. *Rudolphus II. in Michaelem Principem Walachiæ per Bastam.*

Historiæ autē sunt judicata, & testimonia Fab. Quintil. instit. Orat. l. 12. c. 4. *Earumq́; usus in ipso jure:* l. 2. ff. de orig. Iur. l. 1. ff. de offic. præf. Prætor. l. 1. ff.

1. ff. de offic quæst. l. 3. ff. de offic. prætor. l. 8. ff. L. Jul. M. l. 36. ff. de solut: l. 1. §. 1 ff de contrah. empt. & § 2. Instit. de empt. l. 39. ff. de pœnis. & passim Instit. de I. N. G. & C. & in princ. Instit. qui & q. ex c. m. n. p. & tot. seq.

Nihilq́; talibus profuerunt majorum, vel etiam propria prioris temporis merita. M. Manlius unde Gallos depulerat, inde ipse præcipitatus est, cum fortiter defensam libertatem nefariè opprimere conatus fuerat. Cujus ultionis hæc præfatio fuit: Manlius eras mihi cum præcipites agebas Senones; postquàm mutari cepisti, unus factus es ex Senonibus. Valer. M. lib. 6. c. 3.

Nec novum quod in talibus suppliciis sumendis lictorum, & carnificum ministerio fungantur milites: Nam & olim jussu Dictatorum & Principum functi sunt, imò & centuriones, ac tribuni. Ex Tacito Arriano, & Seneca Lips. ad 15. ann. Tac. pag. 418. *in quo sibi prospicere solebant accepto ab Imperatore libello, quo cædes injungebatur. Solenne autem erat perpetratâ cæde illis verbis referre:* factum est quod imperasti, *ut ex Tacito, Herodiano, & aliis firmat Scipio Gentilis* de jurisd. lib. 1. c. 17. *Et sunt qui de tali ministerio militum simpliciter accipiunt verba Ulpiani* in l. 4. ff. de offic. Proconf. *cum ait: Nemo Proconsulum statores (ita enim pro stratoribus rectè se legere opinantur, adjuti verbis Ciceronis* epist. ult. lib. 2. famil. *ibi, existimavi faciendum, ut ad te statores lictoresq́; cum literis mitterem.* Vide Ravard. 1. Varior. 12.) *suos habere potest, sed vice eorum milites eo ministerio in provinciis funguntur, &c. Stator autem dicitur, qui adstat lateri magistratus, & corporis est stipator, ut si quando opus sit, ad imperium, nutumq́; Regis præstò foret, teste Alexandro ab Alex.* tr. genial. dier. *Et glossa interpretatur, idem esse quod apparitor.* d. l. 4.

Extra speciale autem mandatum, ut militi, vel cuiquam privato, vi dejicere, aut interficere liceat delatum, aut suspectum tantùm, anceps est dubitatio: quia fieri potest, ut is, qui jus habet imperij, malit talem in commodius tempus relinqui, quam periculosis, ac cruentis motibus occasionem dari, qui plærumq́; sequi solent, iis violatis, aut interfectis, qui validam habent factionem in populo, aut externos etiam amicos. Certè an rem in id periculum adduci velit Rex, aut populus, incertum est. Favonius Stoicus, Senator Romanus, dicebat, Pejus esse bellum civile quovis dominatu illegitimo. Plut. in Bruto. *Firmat id exemplo Iasonis, ex 2. Maccab. 5. & 6. Iesuita Menochius* lib. 3.

polit.

pol. c. 9. n. 3. ubi admonet Principem, si aliquæ turbæ corripuerint tranquillitatē Reip. ut semper meminerit, contra cives bellum esse; quantumq; sangvinis suorum sparserit, tantum Reip. vires infringi, ac debilitari, quæ tot civium minuta capitibus, ad eam deventura sit imbecillitatem, ut externa bella, si fortè ingruant, propulsare non posit &c. Rectè igitur gravissimam esse deliberationē, libertas an pax placeat, *prudentissimus Tacitus scripsit. Hugo Grot. de jure belli, ac Pac. lib. 1. c. 4. n. 19.*

Nec his de ministerio militum officit responsum Senatus Rom. ap. Eutrop. lib. 4. c. 3. nunquam placuisse Imperatores bellicos à suis militibus interfici. *Loqvuntur enim ibidem in casu, quando externus aliquis hostis à propriis suis militibus proditoriè necatur. Viriatus Lusitanus Romanorum arma per quatuordecim annos fortiter contriverat, contra hunc Cæpio consul missus, spe magnorum præmiorum militibus Viriati persvaserat assassinium, qui postea Romam cum perveneruntflagitantes quod promissum ipsis à Cæpione fuerat, illud audire coacti sunt: De eo Orosius lib. 5. c. 1. sic: In hoc solo Romanis fortiter circa Viriatum agentibus, quod percussores ejus indignos præmio judicarunt: Et Val. Maximus lib. 9. c. 6. n. 4. nominat eam victoriam* non meritam, sed emptam. *Ad eundem ferè modum Senatus referente Tacito lib. 2. ann. in fin. ad exemplum Fabricij, de quo Plutarch. in Pyrrho, & in Apoph. Liv. lib. 9. dec. 4. & lib 2. dec. 5. Epit. lib. 13. Flor. 2. c. 18. Val. M. lib. 6. c. 5. Eutrop. lib. 2. Gellius lib. 3. c. 8. Ælian. var. histor. lib. 12. Cic. 3. offic. & 5. de fin. Senec. ep. 121. Front. lib. 4. stratag. 4. Suidas in voce Pyrrh. Claudian. de bello Gildon: & eò respiciens Flor. lib. 2. c. 20. ubi scribit Aquilium Romanorum arma contra fas moresq; majorum medicaminibus impuris violasse, & quorundam majorum suorum (de legatione Martij, & Attilij ad Regem Perseum, qui in relatione expeditionis suæ de re nullâ magis gloriabantur, quam de decepto per inducias, & spem pacis, Rege. ap. Liv. lib. 2. dec. 5.) Germano cuidam, non Germano, ut censet Lipsius, quamvis Cattorum Principi, literis Herminij mortem promittenti, si patrandæ neci venenum mitteretur, respondit;* Populum Romanum hostes suos non fraude, neq; occultis, sed palàm, & armatum ulcisci. *In bello enim justo, etsi quicquid in hostibus facimus, jus belli defendat, dicente Marcello ap. Liv. lib. 21. sicq; hostem immisso percussore interficere liceat de jure gentium; non tamen hoc exaudiendum est ratione fidei expressæ, vel tacitæ, debitæ percusso: quo casu etiam contra jus gentium faciunt*

gentium faciunt, qui talium utuntur opera, Hug. Grot. *de jure bell. & pac.* lib. 3. c. 4. n. 18. *Non mirum igitur & tunc, in assaßinio Viriati, eam damnatam, & rejectam fuisse. Scipio apud Livium lib. 26. & sua, & populi Rom. interesse ait*, ne quid quod uspiam sanctum esset, apud ipsos violaretur. *Dixit* uspiam; *ecce quid Alexander M. ad Darium? apud Curt. lib. 4.* impia bella suscipitis, & cum habeatis arma licitamini hostium capita. *Talem victoriam, & mortem morte punivit David*, 2. *Sam.* 1. *Alexander M. Justin. lib.* 12. *Plutarch. in Alex. Curt. lib.* 5. *Julius Cæsar, Plutarch. in Bruto & in Pomp. Ipse Cæs. belli civil. lib.* 3. *Imp. Claudius, Dio lib.* 60. *in pr. Ioseph. lib.* 9. *cap.* 13. *Vitellius, Tacit.* 1. *Histor. Julianus & Severus, Dio lib.* 73. *Herodian. lib.* 3. *Maximinus, Jul. Capitol. in Maxim. Valens, Cuspin. in Valentin. & Valen. Aurelianus, Tacitus, Probus, Vopisc. in eor. vitis. Diocletianus, Oros. lib.* 7. *c.* 16. *Vopisc. Pomp. Letus in Numer. & Dioclet. Theophilus, Aimoinus, & Cuspin. in Theoph. sibi ipsis eo modo de securitate prospicientes ex monito Darij ap. Justin. lib.* 11. *Regibus Regale nomen magnum, & sanctum videri, ait Cicero in Orat. pro L. Manil. Tacitus* 1. *histor. respiciens ad Ciceronis ep.* 15. *ad Brut. & Svetonij in Tito c.* 6. *vocat Principum* munimentum ad præsens, & in posterum. *Negabat Eumenes credere se quenquam Ducum sic velle vincere, ut ipse in se exemplum peßimum statueret Iustin. lib.* 14. *Regi tuenda est maximè Regum salus. Sophocl. & Senec. in Oedipo. Nec eam spem Eumenis, vel etiam diras, ac inferias suis proditoribus surdis dictas, ut inopes, extorresq; omne ævum in castrensi exilio agerent, devorarentq; eos arma, quibus plures proprios, quàm hostium Duces absumpsissent, deseruit eventus. Antigonus Argyraspidas, qui eum vinctum tradiderant, muneribus quidem primò ornavit; sed postea, ut eorum perfidiam caveret, mille ex iis socios Sigurtio, vel ut habet Plutarchus in vita Eumenis, Ibyrcio; Diodorus verò, Sibyrito, Arabiæ Præfecto, tradidit: alios verò in alia munitißima loca, & invia, præsidii causâ dimisit. Polyæn. lib.* 4. *stratag. c.* 6. §. 14. *Iustinus ita eloquitur lib.* 14. *Antigonus domitores illos orbis Argyraspidas exercitui dividit. Pluribus recenset Diodorus Siculus lib.* 19. *biblio. c.* 44. & 48. *ibidq; tradit, Argyraspidum antesignanum jussu Antigoni comprehensum, vivumq; in loculo cōditum, exustum fuisse, additq;:* operas cum impietate conjunctas Principibus quidem ob potestatem utiles evadere; sed

priva-

privatis, à quibus navantur, ingentia, ut plurimùm, mala creare.

Sed ut è diverticulo in viam redeamus, licet ea celeritas executionis faciat ad bonum publicum; negari tamen non potest, eò modò & innocentes sæpè perire: quod pluribus à Constantio Gallo Cæs: factum fuisse scribit Ammian. Marcellinus lib. 14. c. 28. à Carino Cæs. Aurel. Victor in Caro, C. Fontejo Capitonia Galba, Tacitus lib. 1. hist.

Nec est tutum semper JCto pro ea opinione respondere. Iulius Clarus in praxi Crimin. §. læsæ Mtis n. 17.

Et in Ciceronis ex Catonis consilio factum invehitur Calenus apud Dion. lib. 46.

Taxatq; Scipio Gentilis disp. de L. Cornelia: L. Portia: L. Clodia. Ejusq; ipsam Ciceronem tacitè pænituisse haut obscure patet ex ejus epistolis ad Atticum paßim: & alicubi expreßè fatetur conversum esse orbem Reip. culpà Catonis.

Sic summis Principibus nimià hac festinatione, novercâ consiliorum, summa sæpius pericula creata, & excidium. Antipater Alexandri M. Præfectus Græciæ & Macedoniæ, qui in ejus absentia utramq; provinciam rectè, magnaq; authoritate rexit, cum audisset occisum ab Alexandro Parmenionem; dixit, Si Parmenion insidiatus est Alexandro, cui tandem credendum erit? Sin minus, quî agendum est. Ex Plutarch. in suis Apoph. Erasmus lib. 5. Fremere etiam omnes universis castris cæpère, innoxij senis, filijq; Philotæ casum miserantes, interdum sequoq; non debere melius sperare dicentes. Antipater autem cum se magnis suis rebus in Græcia gestis, & criminationibus Olympiadis, matris Alexandri, non tàm gratum apud Regem, quàm invidiosum esse arbitraretur, proptereaq; à Macedonia, non ad societatem militiæ, sed ad mortem evocatum esse; author insidiarum vitæ Alexandri factus est, filiumq; suum Cassandrum dato veneno subornavit, qui cum fratribus Philippo, & Jollà ministrare Regi solebat, amici postea causam morbi intemperiem ebrietatis disseminaverunt, & insidiarum infamiam successorum potentia oppreßit. Justin. lib. 12. Diod. Sicul. lib. 17. 19. Plutarch. in Alex. Curt. & Arrian. lib. 7. De Perenne testatur Dio lib. 72. indignum fuisse eum isto genere mortis, tùm suá, tùm Rom. Imperii causâ, mori: Nunquam eum incubuisse ad opes, & gloriam, sed continentissimum, ac modestissimum fuisse, tutumq; imperium Commodi præstitisse: eoq; mortuo

Cæsarea

Cæsareanos, quorum Cleander, qui Perennem graviter odisset, fuisset princeps, nullum sceleris genus omittere, omnia incendere, injuria omnes afficere, vexareq; contumeliis cæpisse, cum interea Commodus indulsisset voluptatibus. Et de Georgio Martinusio, Thuanus d. l 7. Virum fuisse pace, belloq; clarum, & profundâ prudentiâ, cum paucis æquiparandum: Quam prudentiam dùm temporibus accommodasset; & ut patriæ suæ Hungariæ ferè semper bono, Turcorum voluntati morigeratus fuisset, multorum invidiam, ac postremo exitiale odium in se concitasse; quibus tandem effectum esset, ut de ingentibus suis thesauris constanti fama sparsa, Castaldum percussorem, spe lucri, contra se armavisset, qui cum asseclis Ferdinando Imp. persuasisset, quod Georgius clandestina cum Turcis, in Christianæ Reip. perniciem, consilia agitasset; reverâ tamen ejus cædi propter thesauros inhiasset, qui tamen postea modici reperti fuissent: omni eâ pecuniâ, quam sepositam, crediderant, in publica opera, & exercitus consumptâ, ab homine liberali, qui nulla privata charitate, à cura Reip. quam exactâ fide & diligentia administraverat, averti potuisset.

Ut autem disputationi nostræ finem imponamus, &, in quo acquiescat, mens habeat in hoc bivio opinionum; prior, quod scilicet etiam in hoc gravissimo perduellionis, aut læsæ Mtis crimine, non absq; prævia causæ cognitione procedi debeat, locum habet, quando delatus, aut reus, nec arces occupavit, nec plebem seduxit, nec cohortibus armatus est, nec simul factum aliquod evidens appareat: posterior autem, quando contraria sunt in aperto, aut ex haud levibus signis deprehenduntur. Idq; ut statuamus, nobis suggerit sententia Ciceronis ap. Dionem lib. 45. cum ait. Civibus injustis supplicia infligenda sunt confestim: judicio quidem, si sentẽtias de iis ferre liceat: *voce, non tabellâ ex L. Cassia de suffragiis, latâ anno U. C. 616. Sed postea etiam tabellâ, ex L. Cæliâ, latâ an. U. C. 630. quâ confirmata L. Papiria, quæ nove ann. præcesserat.* sin ad arma confugerint, bello persequendi sunt, &c. *Et Mæcenatis, in consilio de retinenda, & benè administranda Rep. ad Augustum apud eundem Dionem lib. 52. ibi:* Si perniciem tibi machinatus quis fuisse culpetur, in Senatum adductum causam dicere jube; ac si convincatur, plecte; ut fides crimini fiat: Nam quidam difficulter adducuntur credere, ab in-

ermi

ermi insidias armato structas; Hîc tamen eos exclusos velim, qui, cum exercitum obtineant, contra te insurgunt Neq; enim hi in judicium pertrahendi, sed hostium loco ilicet puniendi. &c. *Quæ sententiæ confirmantur etiam calculo Plutar: in Vit. Galbæ dicentis:* quod in Africa Clodium Macrum operâ Treboniani; & Fontejum in Germania, ministerio Fabij Valentis necavit, eo defendi potuit, quod ab iis arma, exercitusq; tenentibus sibi metuisset *Accedit Svetonij & Dionis d. l. de facto T. Vespasiani in Cecinnam, qui in palatio, statim ut surrexit à Cœnâ Imperatoriâ, jussu Titi occisus est.* ne quid nocte prior moliretur, siquidem jàm magnum numerum militum, ut depræhensum fuerat ex ejus chirographo, comparavisset: *Junctis iis, quæ idem Dio habet lib. 60. de Asinio Gallo, Drusi fratre uterino, qui insidiatus quidem erat Imp. Claudio, (quod ipsum perstringit & Svetonius in Claudio c. 19.) non tamen morte, sed exilio multatus fuit,* propterea quod neq; exercitum paravisset, neque pecuniam contraxisset. &c. *Ex quibus ita declaratis verus simul elicitur intellectus l. 7. § 3. ff. ad L. Jul. Mtis, ubi JCtus Modestinus jubet, in hoc crimine personam, quæ delata est, spectari, an potuerit facere, & an ante quid fecerit. &c. Et evidentior fit justitia sententiæ M. Lepidi in condemnatione C. Lutorij, ex vaniloquentia Mtis delati, ap. Tacit. lib. 3. ann.*

Moniti meliora sequemur.

Non catulus, partu quem reddidit ursa recenti;
Sed maleviva caro est: lambendo mater in artus
Fingit, & in formam, quantum capit ipsa, reducit.

Ovid. lib. 15. metam. fab. 33.